

Domini Eximii H. J. Feye Lovaniensis Recensio prioris Dissertationis.

In recens (1846) Dusseldorpii edita Dissertatione inquit Auctor Dr. Binterim: An parochus catholicus, salva conscientia benedicere possit matrimonio mixto, caeteris postulatis eccles. instructo, etiam tunc, quando matrimonium modo contractum fuerit ritu protestantico ab ejusdem confessionis ministro? Auctor respondet, sicut debuit, negative, sed proponit regulas quasdam disciplinares, tanquam principia generalia pro celebratione matrimoniorum mixtorum, quae in patria quidem auctoris observantur, non alium tamen, quam localem valorem sibi vindicant; quae nos, ut haec conscriberemus, praepremis moverunt.

Ad Binterimii opinionem explicandam praemittendas arbitramur quasdam notiones praeliminares, quibus adjiciemus nostram cum probationibus sententiam. Ergo ad rem.

Assistentia parochi potest esse *passiva et activa*. Prior nihil aliud est, nisi simplex Sacerdotis praesentia absque omni religioso ritu. Assistentia *activa* secum habet in celebratione matrimonii plures caeremonias, quas inter etiam comprehenditur *benedictio nuptialis*. Haec est autem *solemnis* et adhibetur

secundum Rituale Romanum Benedicti XIV. in Missa pro *Sponso et Sponsa*, aut in Missa, juxta dispositionem Rubricarum addi potest Collecta pro *Sponso et Sponsa*; aut est illa, quae appellatur benedictio nuptialis simpliciter, sic dicta *ordinaria et propria*, qua consecratur omne matrimonium catholicum, formula ista: *Ego vos conjungo* etc. sive alia formula secundum usum consuetudinemque Dioecesium. *Distinctio* haec solemnem inter et ordinariam et propriam benedictionem est *essentialis*.

His positis exponamus Binterimii opinionem. Quoad *locum* celebrationis matrimonii mixti liciti putat auctor, profanum esse debere E. G. ante valvas vel fores Ecclesiae: quum vero ejusmodi assistentia, quae in desuetudinem abiit, et non amplius est ulla in Germanica dioecesi usitata, delicatis hisce diebus minus honesta videtur et plane offensiva et odiosa, eligenda proponitur Sacristia; et si haec etiam respuitur, et ipsa Ecclesia desideratur, fiat ad praecavenda majora mala, sed non accensis cereis et omissis caeteris Solemnibus. Quoad *Vestimenta*: cum assistit ut parochus, dicit Binterim, et Rituale Romanum praescribit, quod sit superpelliceo et stola indutus comitemque habeat Clericum cum superpelliceo, putamus, in eodem ornatu ecclesiast. peragendum esse etiam in mixtis matrimoniis.

Falso, ut id obiter hic observem, citat Auctor noster hoc loco Rituale Romanum, quod supra enumeratos, nonnisi pro celebratione matrimonii ex integro catholici praescribit ritus.

Ulterius procedit Auctor et putat, assistentiam activam a Benedicto descriptam, permissam esse in celebratione matrimonii mixti liciti; assistentia autem haec activa comprehendit, ut clare dicunt verba Pontificis, omnes ritus ecclesiasticos, qui observantur in matrimonio catholico; comprehendit ergo evidenter benedictionem nuptialem proprie dictam. Praeterea quod Binterim permittat hanc benedictionem nuptialem in licito matrimonio mixto, ipse palam declarat pag. 38. „Celebratio matrimonii per assistentiam activam valde simplex est juxta Concilium Tridentin. et Rituale Rom.“ Sess. enim 24. C. 1. Decreti

de Reformat. matrim. habet Tridentinum: „Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur; ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in N. P. et F. et Sp. S., vel aliis utatur verbis juxta receptum unius cujusque provinciae ritum.“

Ita B. permittit assistentiam activam in matrimonio mixto licito, secumque haec assistentia juxta ipsius verba *), ducit benedictionem nuptialem, permittit hanc ergo benedictionem in matrimonio mixto licito. Denique B. praecise proponit suam sententiam hisce conclusionibus. 1) „Concludendum igitur est, in futuro a nemine unquam parochorum benedicenda esse benedictione solemni matrimonia mixta. 2) Sed si omnes adsint cautiones, quas inter et dispensatio pontificia merito numeratur, assistendum iis est assistentia activa, quam describit Benedictus XIV. 3) Haec si deficiunt, tantum assistentia passiva praescribitur et sufficit ad valorem conjugii.“ Pag. 44.

Occasione tertiae conclusionis infra videbimus, assistentiam passivam Sacerdotis in celebrando matrimonio mixto illicito (de quo hic sermo) solummodo adhiberi posse ex tolerantia summi Pontificis, supposita praecipue pro provinciis rhenanis juxta Breve Pii VIII.

Secunda conclusio, de qua praecipue hic agemus, sententiam Auctoris enuntiat, quam ipse jam proposuit in opere, quod germanice inscribitur: *Christ-Katholische Denkwürdigkeiten* Tom. VII, Part. II. pag. 157 seq. et secundum quam Ecclesia permetteret dandi benedictionem sacerdotalem, si matrimonium sit licite contractum **).

Generalia nos sequentes principia, non possumus rationabiliter adhaerere huic sententiae, et si talis sit praxis in

*) Erronee mihi hoc imputat Recensor. ut infra Demonstrabo. B.

**) Conditio in loco citato *Denkwürdigk.* specialiter addita est: si pars acatholica reversa sit vel reverti velit in sinum Ecclesiae, quo in casu, ut satis clare ibidem dixi, cessat matrimonium mixtum, quia jam factum pure catholicum. Hoc non satis observavit Censor. B.

patria Dni. Binterim, haec praxis minime potest justificari, nisi ex speciali dispositione vel ex bene probata tolerantia Summi Pontificis.

Sed tentemus justificare votum, quod ferre debebamus super diversas reverendi Auctoris Conclusiones.

Ut ordine procedamus, duas distinguamus hypotheses: vel matrimonium mixtum est *illicitum*, i. e. cui deest dispensatio summi Pontificis aut alia ex conditionibus requisitis et necessariis ad contrahendum tale conjugium sine periculo; vel est *licitum*, id est: munitum dispensatione pontificia caeterisque postulatis necessariis.

Num potest priori in casu sacerdos catholicus assistere celebrationi matrimonii mixti? Respondemus minime haesitantes: eum non posse assistere assistentiamque passivam etiam esse interdictam. Recte igitur Binterim in suis Monumentis eccles. (Denkwürdigk. Tom. VII, Part. II, pag. 157.) impugnavit sententiam contrariam Basilii Pontii, qui hoc in casu parochum tanquam testem qualificatum considerat eumque non magis reprehendendum putat, quam caeteros testes *).

Summi Pontifices passivam assistentiam in matrimoniis mixtis illicitis tantummodo indulserunt, quando circumstantiae particulares hanc tolerantiam in Ecclesiae utilitatem postulaverant. Sic fecerunt Benedictus XIV. et Pius VI., ille in responsione ad Episcopum Uratislav. 12. Septembr. 1750, hic in Rescripto 15. Julii 1784 ad Cardinalem de Franckenberg. Quo in rescripto Pontifex dicit: se velle parochum assistentem talibus matrimoniis considerare non ut ministrum Dei et Ecclesiae, sed ut ministrum status civilis, quod munus illo tempore adhuc obibant Clerici.

Litterae quoque episcoporum Belgicorum ad Pium VI. die 3. Junii 1782 datae, et quoad hoc a S. sede etiam approbatae, confirmant nostram assertionem, continent enim haec:

*) Mallem, ut lector casum ibi discussum acuratus perpendat. B.

1) „Mixtis hujusmodi matrimoniis benedictionem matrimonialem minime posse impertiri ... 2) Ubi, non obstantibus paternis monitis, ad nuptias transire volent, credunt eas ita celebrandas esse, ut parochus nupturientes coram se faciat in domo sua vel alio profano loco comparere, qui ibidem sibi mutuo fidem dabunt matrimonialem, absque eo quod parochus formam proferat: *Ego vos conjungo etc.* et insuper nec superpelliceo, nec alia caeremoniali veste ecclesiasticum ritum praeficiente sit indutus: *adeo* ut omnibus pateat ipsum illi contractui non *assistere ut ministrum sacrum, sed mere tanquam testem civiliter necessarium* et auctorisatum ad recipiendum consensum partium, in ordine ut matrimonium sit validum et effectus omnes civiles sortiatur.“ Quae Episcoporum opinio Belgicorum ut diximus, approbata est a Sancta Sede, sed tantummodo tunc, quum *matrimonium infallibiliter secuturum praevideatur*, et cum clausulis restrictionis, quarum finis est conversio partis acatholicae et educatio omnium prolium in fide catholica. Gravibus sane, quae talia etiam in Ducata Cliviensi exigebant, motus circumstantiis Pontifex instructione data 19. Junii 1793 ad parochos hujus Ducatus tolerat passivam ejusmodi assistentiam.“ Si cogantur, inquit, in hae temporum conditione, et propter leges in transactione religionis anni 1673 praescriptas, matrimoniis Catholicorum cum muliere acatholica assistere, satagant, ut se mere passive habeant, atque tanquam invitati audiant dumtaxat utriusque consensum; veruntamen abstinuant omnino a precibus recitandis, a benedictione impertienda, et ab omni alio Ecclesiae ritu adhibenda.“

Iisdem plane verbis usus ductusque sensibus Pontifex Pius VIII. in Brevi, quod incipit: *Litteris altero*, dato 25. Martii 1830 ad Archiepiscopum Coloniensem et Episcopos Trevirensen, Paderbornensem et Monasteriensem: „Illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum

impedimentum) ut audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent; sed caverent semper ab illicitis hujusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo.“

Lector bene observare velit Pontificis in hoc decreto restrictionem: „Si nullum aliud obstaret canonicum impedimentum. Probat haec nempe, quod etiam absente omni alio impedimento Pontifex non toleret, nisi difficulter, assistentiam passivam Sacerdotis catholici in matrimoniis mixtis illicitis.

Breve Gregorii XVI. ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae de 7. Maji 1832. expressis verbis adstruit hanc assistentiam: „At vero si nonnunquam contigerit (quod Deus avertat) ut monita et adhortationes hujusmodi in irritum cadant, et catholicus aliquis vir mulierve recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias, non petita seu non impetrata Ecclesiae dispensatione, vel debitis cautionibus, seu earum aliqua praetermissa, tunc sane sacris pastoris officium erit, abstinere non solum a matrimonio ipso sua praesentia honestando, sed etiam a praemittendis eidem proclamationibus atque a dimissorialibus litteris concedendis.“ En principium formali sententia pronuntiatum. Nihilominus idem Papa Gregorius in instructione sua, *Litteris jam inde*, ad eosdem Praelatos, dicit, se velle habita circumstantiarum a Pio VI. et Pio VIII. commemoratarum ratione uti tolerantia, qua apostolica sedes ea mala patienter dissimulare consuevit, quae vel impediri omnino nequeunt, vel si impediuntur, gravioribus etiam incommodis facilem aditum possunt patefacere.“ Addit: „tunc ipse parochus catholicus aliisque Sacerdos, ejus vices agens, poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, quocumque Ecclesiae ritu excluso, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis vulgo qualificati seu auctorisabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.“ Alia ejusmodi instructionis loca, quae dubio absque nostram

probant thesin, hic addere non permittit hujus articuli spatium. Sufficit tantum nominare Breve et instructionem de 30. Aprilis 1841. ad Episcopos Hungariae, sicut et instructionem de 22. Maji ejusdem anni ab Episcopos Austriae in statibus confederatis, in quibus Papa Gregorius XVI. tolerat assistentiam, ut supra, passivam.

Voluntas sanctae sedis non minus est explicita quoad proclamationes matrimoniorum, de quibus hic agimus. Episcopi Belgici in litteris suis 3. Junii 1752. putaverant, has proclamationes permitti: Pius VI. easdem prohibuit his verbis: „non posse nos, ut haec fiant, annuere,“ voluitque Praelatos insistere apud Imperatorem, ut concederet parochis facultatem easdem omittendi. Denique cum Josephus II. petitionem tam aequam rejecisset, Pius VI. respondit 31. Maji 1783: hic verbis: „Tolerari poterit, ut proclamationes fiant, non solum extra Ecclesiam . . . sed etiam omnimode extra locum sacrum.“ Idem Papa ait in Instructione anni 1793. pro Ducatu Cliviensi: „Caveant insuper, ne in publicandis matrimoniis mixtis religionem expriment contrahentis acatholici, sed contrahentium tantum enuntient nomina et cognomina. Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum canones Ecclesiae catholicae canonicum aliquod impedimentum sit inter contrahentes. In dimissoriis omittant verba *mea pace*, quae consensum prae se ferre videntur in illicitum matrimonium.“

Gregorius XIV. loquens de matrimonio illicito sive defectu dispensationis sive alius conditionis, expressis verbis declarat, parochum debere abstinere, a praemittendis proclamationibus, atque a dimissorialibus litteris concedendis. Attamen in Instructione: *Litteris jam inde*, tolerat Pontifex has proclamationes propter circumstantias extraordinarias: „Tolerandum, inquit, ut a parocho catholico tam consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione religionis illarum, qui nuptias sunt contracturi, tum etiam de factis proclamationibus litterae mere testimoniales concedantur, in quibus, si nullum adsit dirimens impedimentum unice enuncietur, nil praeter veti-

tum Ecclesiae ob impedimentum mixtae religionis, matrimonio celebrando obstare, nullo addito verbo, ex quo consensus aut approbationis vel levis suspicio sit oritura.“

Videmus, igitur, Summos Pontifices citatos tolerare assistentiam passivam sacerdotis in matrimoniis mixtis illicitis neque proclamationes talium matrimoniorum, nisi in circumstantiis quae exceptionem formant, extraordinariis, nec tunc quoque ea libenter tolerant. Praeterea principium a nobis hic defensum saepe est confirmatum a Congregatione sacra Concilii Tridentini. *)

Ad alteram nunc tractandam procedamus hypothesin supra propositam, in qua supponimus, matrimonium mixtum factum fuisse licitum dispensatione summi Pontificis et praesentia omnium conditionum requisitarum. Ante omnia, bene ut intelligatur et observetur, volumus, matrimonium ejusmodi non fieri licitum sola concessione et promissione educationis omnium in religione catholica prolium; sed ut licitum fiat, semper opus est dispensatione summi Pontificis. Recte ergo hoc postulat Dr. Binterim. Et haec dispensatio requiritur in singulis ejus generis matrimoniis, nec ipsi episcopi eam absque speciali sanctae sedis facultate valent concedere. Frustra sane et vane quaeritur haec facultas, quasi Episcopis esset attributa in instructione Eminentiss. Card. Albani 27. Maji 1830. Haec enim concesserat tantummodo Episcopis illis facultatem dispensandi ad certum tempus, quoad matrimonia mixta, in aliquibus impedimentis dirimentibus, ut ejusmodi matrimonia, etsi illicita, valide tamen contrahi possint.

Requiritur igitur dispensatio summi Pontificis. Agitur enim de *impedimento impediante*, proveniente ex universali matrimonii mixti prohibitionem facta ab Ecclesia catholica, cujus dispensatio reservata est summo Pontifici; quam ob rem summi Pontifices constanter hanc prohibitionem nominarunt *sanctissi-*

*) Et hoc principium nec ullo ego aggressus sum in mea Diss. verbo, nec defendi. B.

mum canonum interdictum, et declaraverunt, Ecclesiam catholicam semper reprobasse et interdixisse matrimonia mixta: *perpetuo interdixit, severissimis legibus interdixit.*

Caeterum necessitatem dispensationis papalis evidenter probabimus documentis plane clarissimis. Ne vero futilibus quorundam retineamur ambagibus, missis antiquis recentiorum tantum proferemus Pontificum decreta. Benedictus XIV. expressis resolvit verbis, consuetudinem solam non posse licitum reddere matrimonium mixtum, etsi omne aliud adsit postulatum. „Neque est, ait, ut hac in re contraria ulla consuetudo opponatur, quoties non adsit *positiva Pontificis dispensatio, quae sane ex sola Pontificum Romanorum scientia ac tolerantia deduci nullo pacto potest...* Pontificiae ergo auctoritati injuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes, alteram catholicam et alteram haeticam, contrahantur.“ *)

Pius VII. in litteris datis 31. Octobr. 1819. ad Vicarium Generalem, qui tunc in Ehrenbreitstein suam habuit residentiam, Trevirensen, formaliter asserit, praeter caeteras requisitas conditiones, quas inter est educatio omnium liberorum in religione catholica, omnino esse necessarium, ut dispensatio petatur summi Pontificis, sine qua illicitum est matrimonium. *Unice ab eadem (sede) singulis casibus postulanda est.* Eodem modo loquitur Gregorius XVI. in Brevi suo 27. Maji 1832. ad Archiepiscopos et episcopos Bavariae: „Ipsi, ut accepimus, *affirmare audent*, catholicos posse libere ac licite matrimonia cum heterodoxis contrahere, non modo non impetrata Ecclesiae dispensatione, *(quae juxta notas regulas in singulis casibus ab hac apostolica sede imploranda est)*, sed praetermissis etiam debitis... cautelis... Si aliqua interdum gravis causa interveniat, quae mixtas hujusmodi nuptias suadere videtur, ... illas non aliter contrahant, nisi impetrata dispensatione, et conditionibus, quae praescribi ab illa solent, religiose servatis.“

*) De Synod. dioeces. lib. IX. C. 3. N. et 3.

Concilium provinciale IV. Baltimorae celebratum anno 1840. in primo dixerat decreto, loquens de matrimonis mixto: „Quodsi rerum adjuncta aliquando susdeant ea esse permittenda, imprimis curandum erit, ut conscientiae securitati et libero religionis exercitio a catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide catholica educationi, solemni coram Deo promissione iis de rebus emissa.“ Ecce omnes alias conditiones expressas, nihilominus Patres concilii, confirmationem ejus non obtinuerunt a summo Pontifice, nisi sub conditione, ut dicto decreto addantur verba: *ex auctoritate apostolica.**) Congregatio de propaganda fide, ex mandato summi Pontificis transmittens Episcopis Americanis Sanctae Sedis confirmationem, addita hac stipulatione, sequentibus verbis haec declarat: „Etenim constare etiam ex decreti contextu debet, dispensationem apostolicam super eo impedimento quoque requiri.“ **)

Videamus nunc, quo modo Sacerdos concurrere possit ejusmodi matrimonii liciti celebrationi. Videtur, si actio obiter consideretur, Sacerdotem tunc posse agere precibus eodem modo, quo in matrimonio duorum Catholicorum. Sed res aliter se habet. Ex nostra sententia minister Ecclesiae sese gerere debet hoc modo. Ante omnia se conformare debet Brevi dispensationis, quodsi nihil speciale praescribit, nulla alia Sacerdotis ejus in hujusmodi matrimonio licito esse debet actio, quam assistentia passiva extra locum sacrum, sine caeremoniis religiosis, sine sacris vestibus et sine benedictione nuptiali. Hoc sequitur ex testimoniis a nobis jamjam proferendis. Benedictus XIV. postquam probaverat matrimonium mixtum licitum fieri posse dispensatione papali, supponit hunc casum et tunc prosequitur: „Putant aliqui et fidenter docent, hujusmodi matrimonia a sacerdote benedicenda esse. Ita censet Theophilus Raynaudus. Sed rectius judicat Pontius. *de Sacrament. matrim.*

*) Quodsi rerum adjuncta aliquando suadeant ex auctoritate apostolica ea esse permittenda, imprimis curandum etc.

**) Bullar. S. Congregat. de propoganda fide Tom. V. Romae, 1841. in fasciculo ad calcem. p. 73.

in append. de *matrimonio Catholici cum haeretica* Cap. 9. admonens hujusmodi matrimoniis sacerdotalem benedictionem impendendam non esse, neque Missam in praesentia haeretici celebrari debere, nec matrimonium ipsum intra Ecclesiae ambitum contrahi; quoniam nihil horum ad illius validitatem intervenire necesse est. . . Honoratus Tournely in Praelect. theolog. de Sacrament. matrim. p. 106. juxta editionem Parisiens. narrat, expresse vetitum fuisse a Clemente VIII. ne ejusmodi matrimoniis benedictio impenderetur.“ (De Synod. Dioecesis. libr. VI. C. 5. N. 5.) Valde dubium est, num Pontius voluerit loqui de benedictione ordinaria nuptiali: nihilominus Benedictus XIV. verbis supra citatis hanc benedictionem respicit, quod sequitur tam ex causa, qua suam probat opinionem: (*quoniam nihil horum ad illius validitatem necesse est*), tam ex verbis ipsis, quae continerent pleonasmum, si sub voce, *benedictio sacerdotalis*, non esset intellecta benedictio nuptialis ordinaria. Nam interdictum celebrandae Missae praesente haeretico includit interdictum benedictionis *solemnis*, secundum Rituale romanum non dandam, nisi in Missa. Praeterea Conferentiae ecclesiasticae Parisienses de matrimonio, ad quas respicit Benedictus XIV., haec habent: „Quaeritur, num is, qui concedit hanc dispensationem, sit coram Deo absque omni culpa hujus sacrilegii et profanationis Sacramenti matrimonii, si expressit in dispensatione, matrimonium contrahi debere ad portas Ecclesiae, praesente paroco et duobus testibus, prohibens paroco alii sacerdoti dare benedictionem nuptialem, ita ut adsit nonnisi tanquam testis mutui consensus dati a contrahentibus per verba de praesenti.“ Verum est, ita fieri matrimonia Catholicorum cum haereticis, quando Papa ea permittit. Hujus rei unum exemplum proferimus matrimonium Henrietae principis Franciae cum Carolo I. rege Angliae dispensante Urbano VIII.“*) Etiam matrimonium Henrici V. cum Margaretha de Valois contractum fuit sine benedictione nuptiali ordinaria. Aliud argu-

*) Tom III. Lib. III. Confer. II. § 5.

Teste Densio *) dispensatio solet a Curia Romana dari sub clausula hac: Ut omissis proclamationibus antenuptialibus, pastor nudam suam exhibeat praesentiam, requisitam ad valorem matrimonii . . . extra locum sacrum, sine sacris vestibus ullisve ecclesiae sive precibus sive benedictionibus.

Gregorius XVI. rescripsit 24. April. 1842 cuidam Episcopo concedens „facultatem dispensandi, ut licite possit matrimonium contrahere, private tamen, omissis proclamationibus, extra ecclesiam et absque benedictione catholicus cum catholica et vice versa.“

Statuta Synodalia dioecesis S. Ludovici de anno 1839.
N. 14. jubent hanc a nobis defensam sequi sententiam. Rev.

5

enim Episcopus Rosati haec praescripsit Sacerdotibus : „Quoad matrimonia mixta meminerint Sacerdotes proclamationes faciendas non esse, ritus et preces praescriptas non esse adhibendas, nec superpelliceo nec stola utendum, sed hujusmodi matrimonia sola receptione mutui consensus esse celebranda.“

Sequitur eandem sententiam Concilium provinciale IV. cujus decretum primum haec continet : „Quod si rerum adjuncta aliquando suadeant ex auctoritate apostolica ea esse permittenda, imprimis curandum est, ut conscientiae securitati et libero religionis exercitio a catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide catholica educationi, solemniter coram Deo promissione iis de rebus emissa; secus nullatenus licebit Sacerdoti iis connubiis adstare. Meminerint insuper Sacerdotes *pluribus S. Pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum foedera hujusmodi ineuntur, quae neque intra ecclesiam ineunda sunt.*“ Hoc decretum respiciens ullo absque dubio matrimonia mixta licita, approbatum est a S. Sede modo, quem retulimus, pag. 101. et 102.*)

Objiunt, summos Pontifices reprobasse nonnisi constanter assistentiam activam parochorum in matrimoniis mixtis illicitis, permisisse ergo eam in licitis.

Haec Conclusio non continetur in praemissis.

1. Si negari nequit in jurisprudentia, argumentum a contrario, principiis oppositum nihil probare; multo magis nullum erit argumentum, si contrarium est decisionibus expressis et indubiis.

Instant autem: quaenam est differentia inter matrimonia licita et illicita quoad modum assistentiae parochi? Hoc utrumque differre putamus, quod assistentia passiva in matrimonio mixto illicito sit interdicta et aegre tolerata tantum in circumstantiis extraordinariis, in matrimonio mixto licito e contra sit permissa. Quoad primum audiamus Pium VI. in Rescripto,

*) V. Acta et Decreta Synodorum provincialium. Baltimori habitantium, Romae 1841. p. 102, 103, 112, 136.

dato 13. Julii 1782. ad Cardinalem de Franckenberg: „Attestatur tibi ad pedes Crucifixi, id unice nos facere (id est: tolerare assistentiam passivam sacerdotis in matrimonio illicito) ut sanctae religioni nostrae majora damna evitentur.“ Postulat quoque Summus Pontifex plures conditiones: „ne approbationem sapiat tolerantia.“ Gregorius XVI. idem sicut Pius VI. dicit: „Sanctissime coram eo, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, profitemur, nos ad eandem tolerantiam ea tantum de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae catholicae incommoda obveniant.

Objicitur quoque textus Benedicti XIV.: „Expedit omnino, ut Episcopus, ad tuendum Ecclesiae decorem, ritus in eorundem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat.“ Sed si Pontifex hic loqueretur de ritibus ecclesiasticis, sibi met ipsi contradiceret, cum, ut supra vidimus, aliis locis excludit in matrimonio mixto licito benedictionem nuptialem ordinariam et celebrationem in ecclesia, nihil permittens, nisi quod omnino necessarium est, ut validus sit contractus nuptialis, et citans exemplum matrimonii Caroli I. cum Henrietta, Sorore Ludovici XIII. quod contractum est, inquit, extra ecclesiam coram Cardinali Eleemosynario Galliae, *per quem tamen benedictio nuptialis data non est.*

Quoad proclamationes matrimoniorum mixtorum licitorum jam videmus in documentis supra prolatis, eas quoque esse prohibitas. Quod apparet etiam ex eo, quod praesentia Sacerdotis in hisce matrimoniis debet esse omnino passiva, et ex verbis sequentibus, quibus usus est Pontifex Pius VI. in Litteris ad Episcopos Belgii: „Cum praecordinatae illae sint ad celebrationem matrimonii futuram, et ex consequenti positivam eiusdem cooperationem contineant. Arbitramur tamen, ejusmodi proclamationes fieri posse talium matrimoniorum, ubi toleratae sunt in matrimoniis illicitis.

Nostram jam credimus demonstratam esse propositionem. Lector bene videbit, nos debuisse salva summa reverentia erga

D. Binterim, ipsi contradicere quoad plures partes secundae nostrae hypothesis; omnino tamen Auctor doctus in opusculo, quod occasionem nobis praebuit, ista scribendi, comprobavit eruditionem multivariam ardentemque zelum, quae etiam praeferunt alia ejus opuscula ad tuenda sacra jura Ecclesiae et ecclesiasticae disciplinae integritatem; quare maxime commendamus eorundem lectionem.

Etsi igitur in aliquibus articulis dissertatori Binterim debuerimus contradicere, nobis tamen persuasum est maxime, sententiam auctoris sapientis illis inniti circumstantiis, in quibus existit disciplina ecclesiastica Germaniae; has et circumstantias potuisse auctorem determinare, bene comprehendimus, ad amplectendam sententiam quae in uno puncto benignior est, quam ut in caeteris magis essentialibus ecclesiastica quoad matrimonia mixta recte sustineatur disciplina; sententiam videlicet quae hodiernis diebus in patria auctoris haud juste aestimatur. Quod talis fuerit auctoris intentio, confirmare videtur ipsa, de qua nunc egimus, Dissertatio. Revera videntur in Germania parochi vel quidam eorum matrimoniis mixtis, caeterum licitis benedicere, etiam tunc, quando desponsati valide modo contraxerint coram ministro protestantico, qua tali. Contra hanc praxim insurrexit Dnus. Binterim, proponens quaestionem, an parochus salva conscientia hujusmodi matrimonio benedicere possit. Quaestio, quae in se ipsa non una esse debuisset. Hanc, ut modo diximus resolvit Binterim negative et recte. In hoc sicut multis aliis vicibus ostendit se ut fervidum disciplinae ecclesiasticae defensorem. Quod ad nos attinet, non haesitamus cum ipso asserere, quod parochus catholicus non possit sine peccato talibus nuptiis benedicere, quae valide modo coram ministro protestantico sunt initae. Catholica enim pars reveram sese fecit enormis publicique criminis; et postea deberet Sacerdos catholicus preces dicere benedictionesque facere ecclesiasticas super publicum peccatorem, qui notorie communicavit in rebus sacris cum haereticis. Hoc non tantum esset mini-

sterium sacerdotale adducere in contemptum, sed et sese reum facere excessivae liberalitatis erga hostes religionis nostrae sacrosanctae. Hoc tandem et religiosus sine dubio faveretur Indifferentismus et directa cum ecclesiasticae disciplinae sanctitate et integritate constitueretur oppositio. Talis sane praxis oppido illegitima est et abusus rerum gravissimarum, quem consequenter jubet reprimere officium sacerdotale.

Sed mittamus has argumentationes, quia ostendimus, quod juxta sensum Ecclesiae nunquam benedictio nuptialis et quidem ordinaria dari possit matrimoniis mixtis, etsi licitis, multo minus, si ejusmodi matrimonium coram ministro protestantico valide sit contractum; huic enim neque benedicere, neque assistere potest parochus catholicus. Et id ideo, quia unum de principalibus motivis, quod romani Pontifices quandoque in matrimoniis mixtis tolerant assistantiam passivam, hoc est, ut sic nupturientes impedirentur, quominus sese pro contrahendo conjugio sisterent ministro protestantico. Conferatur hac de materia Instructio Cardinalis Bernetti ad Episcopos Bavariae de 12. Septembr. 1834. Gregorius XVI. ibidem permittit assistantiam passivam verbis hisce: „Si in Ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, hujusmodi nuptias . . . coram parocho catholico potius quam ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari.“ De caetero per celebrationem nuptialem coram ministro protestantico matrimonium ejusmodi mixtum, alias (NB. si legitime instructum) licitum factum nunc est omnino illicitum, quia etiam sine speciali in dispensationis Brevi expresso interdicto, celebratio nuptialis coram haeretico ministro severe et rigide est prohibita. An ergo catholicus quidam parochus hujusmodi matrimonio assistere poterit? Omnino non. Nam assistantia talis matrimonii illiciti non est tolerata ulla in regione, nisi ut matrimonium contrahatur valide, et ut non contraheretur coram ministro protestantico. Hic finis est unicus. Ita ut semel valide coram ministro protestantico initum matri-

monium nullum alicujus concessionis, alicujusve tolerantiae relinquat locum. His positis, quomodo Sacerdos catholicus assistere poterit, postquam matrimonium alias licitum per celebrationem factum fuerit illicitum et postquam per ipsam hanc celebrationem, quae ipsam facit illicitam, valide fuerit contractum.

H. J. Feye,

Doctor Theologiae et Licentiatuſ juris canonici.

Edidit et idem Doctissimus Feye typis Lovaniensibus pro gradu Doctoratus in jure canonico integram de matrimoniis mixtis Dissertationem, in qua praeter argumenta in superiori recensione data, praeclara exhibet doctrinae documenta, quibus disciplina ecclesiastica illustratur et ab Objectis vindicatur nec non ab abusibus sensim irreptis purgatur. Licet in Germania nostra multi editi sint de ejusmodi nuptiis libelli, multi tractatus, multae Dissertationes, quorum historiam texuit Clariss. Roskovany duobus Tomis, tamen haud superfluum judicabit Lector Feye Dissertationem.

—•••••

Cum me, anno superiori, matrimonii mixti iſſis Dissertatione singulari benedictionem aut potius post petactam in templo protestantis nuptiam solemnizantem catholicam recipere rationem revocando, non infima pars Vestram rigidioris disciplinae proclamavit partium; Epheuerides Lovanienses dicitur. Feye dixerunt me nimis benignum sacrorum canonum decretorumque pontificiorum interpretationem. His, ergo si nimis rigidi, his si nimis benigni? Quid ergo? Mediamne me intussem? Gratulari mihi forsitan possent? Id quidem serio satiare